

manus, vti certo constat, ita meliorem isto tempore consuli potuisse neminem, fateri oportet omnes, quibus Hunniana peritia, prudentia, pro veritate, velut pro aris & focus, contentio, non est ignota. O! autem legem praeclarissimam, quae eo tendit vni- ce, vt illibatae religionis habeatur ratio. Valeant hic Zaleuci, valeant Solones, valeant Dracones, valeant Lycurgi, valeant plures, qui ob leges prudenter latas in antiquis monumentis con- celebrantur. Lex Schabbeliana palmam praeripit omnibus & lon- go eas intervallo post se relinquit. Quae enim salubrior potest esse lex ea, qua ipsa coelestis veritas vindicanda praecipitur & contra adversarios tuenda, ne illi cristas erigant, veritati potius, quae premi quidem potest, non vero opprimi, suus constet ho- nos, eademque in maiori collocetur luce, & magis magisque ro- boretur, firmetur, stabiliatur? Aliter hic sentire, non sum ne- scius, praeposteros pacis in sanctiori republica & concordiae sua- fores, qui vel fucata pietate, vel fanatico religionis aequilibrio euncta absolvi, opinantur, atque idcirco omne contra falsarum doctrinarum fautores decertandi studium cupiunt reiectum & e civitate DEI prorsus exterminatum. At hi non perpendunt, quod veritatis amor pacis amori in divino mandato (13) praeponatur. Vnde luculenter apparet, quod omne illud pacis studium sit per- versum, intempestivum, ineptum, stolidum, divinae voluntati contrarium, quo veritas, quae semper debet manere salva, la- befactatur, eidemque damnum infertur. Optimo proinde con- silio primam alumnis suis SCHABBELIVS praescripsit legem: *NE QUID SANCTA VERITAS DETRIMENTI CAPIAT*. Quo itaque sine voluit liberalitate sua gaudere sacrae disciplinae cul- tores SCHABBELIVS? Sane utilissimo. Istius ergo memoriam ipsum, quod inde emanavit, commodum haud difficulter huc vsque conservavit, hodie conservat, perpetuoque conservabit adeo, vt nulla eius capiatur oblivio. *LIBERALITAS AVGVSTI,*
vel

(13) Zach. VIII, 19: *האמת והשלום אהבר*, *Veritatem & pacem dili- gite.*